visionis initium ab illo termino, qui ad maximam evectus est potestatem, & ita per gradus progrediendo, ut hìc factum vides. Itaque dividas $6a3$ per $2a^2$, prodit quotus $3a$, per quem divisor totus multiplicatur, productumque $6a3 + 9a2\ b$ subtrahas ex dividendo, residuum fit $+ 6a^2\ b$, cui addas $9ab^2$, & dividere pergas ut ante, quotus est $- 3b$, productumque ex hoc quoto & divisore iterum auferas ex dividendo, nihilque remanet; quare accurata est divisio. Si autem peracta operatione aliquid superfit ita ut divisor & reliqua pars dividendi nullas communes habeant quantitates, jam divisio accurate fieri non potest, sed quoto invento jungenda est fractio: de fractionibus autem tractabitur in proximo capite.

Sæpe contingit divisionem in infinitum continuari, & tunc quotus fit, ut vocant, *series infinita*. Exemplo sit unitas dividenda per $1 - a$. Operatio est hujusmodi.

$$\begin{array}{c|l} 1 & \\ \hline 1 - a & \text{quotus est} \\ & 1 + a + aa + a3 + a4\&c. \\ & \text{in infinitum.} \\ \hline + a & \\ + a - aa & \\ \hline + aa & \\ + aa - aaa & \\ \hline + aaa\&c. & \end{array}$$

Hæc pauca exempla satis sint. Cæterum patet multiplicationem & divisionem in quantitatibus litteralibus non secus ac in numeris sibi mutuam probationem conferre, ita

ut